

gnum : item ab homine nequit fieri debitor mercedis ex justitia ; cum illi nec gratiae condigne pro beneficiis ab ulla creatura praestari queant ; ergo.

R. D. A. quoad 1^{um}. Præmitat supra condignum quoad gloriæ intensionem, et forte etiam extensionem C. quoad gloriæ substantiam N. vel subd. si plane nulla intervenisset Dei ordinatio C. cum haec eaque multiplex intercedat N.

Quoad 2^{um}. D. A. Deus nequit ab homine fieri debitor ex justitia absolute loquendo et nulla facta hypothesi C. constituta hypothesi divinae promissionis N. Possunt enim justi consummato vitae cursu proferre verba AUGUSTINI serm. 16 de verb. Apost. Redde, quod promisisti; quia fecimus, quod jussisti. Vid. dicta superius. Quod negatur de gratiis condignis, pertinet ad eas vel secundum se spectatas, vel acceptatione divina carentes, servata proportione ad ea, quæ proxime de bonis operibus dicebamus.

Inst. 2. Omne opus bonum est Deo aliunde multis titulis debitum, et præterea neque a gratiæ datore tanquam extrinseco, neque ab ipsa gratia sive actuali, utpote peccatoribus communi, sive habituali, utpote quoad speciem non distincta a priore, condignitatem et proportionem ad gloriam habere potest ; ergo.

R. Quoad 1^{um}. D. Omne opus bonum est alifunde Deo debitum in actu secundo, ita ut ab illo ex alio titulo etiam actu exigatur, et hinc nullum sit supererogationis opus N. est debitum in actu primo C. sed N. supp., quod ejusmodi debitum obstet merito, ut num. 438. fuit ostensum.

Quoad 2^{um}. N. 1^{am}. et 3^{am}. p. A. In justis enim Spiritus sanctus inhabitat, nec exterius duntaxat assistit ; unde justos intrinsece proportionatos et gloriæ dignos reddere, ac virtutem, qua opera tali gloria faciant digna, impetrare potest : gratiam autem sanctificantem operibus praestare condignitatem ostendit proportio illius ad gloriam, quæ se habet sicut pignus ad debitum, sicut semen ad fructum, sicut fons ad aquam ; unde AUG. enarr. in Psal. 125. n. 11. et 14. ipsa opera vocavit semina vitae æternae.

449. Dico IV. Datur meritum de congruo ; et hujus tantum meriti rationem participant opera bona non justificatorum.

Prob. 1^a. p. Dantur plura opera bona ante justificationem, quæ sint apud Deum theologicæ meritoria : sed non sunt meritoria de condigno, ut ex secunda parte supponitur ; ergo. Major exempli gratia declaratur in fide et pœnitentia tanquam prima et ultima dispositione ad justificationem.

Quoad 1^{um}. enim AUG. ait ep. 105. (al. 194. n. 9) ad Sixtum : Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat : Deus, propitius esto mihi peccatori : et descendit justificatus merito fidelis humilitatis, quoniam, qui se humiliat, exaltabitur ; et L. de præd. Sanct. c. 2. n. 4. Quis autem dicat eum, qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit, nihil mereri ? PROSPER L. contr. Collat. c. 3. n. 1. Non enim nullius meriti haberi potest potentis fides, querentis pietas, pulsantis instantia ; quibus similia habent FULG. L. de Incarn. et gr. (al. ep. 17. c. 18.), et PETR. Diacon. c. 8. in libro ejusdem tituli (al. ep. 16. inter Fulgentianas).

Quoad 2^{um}. vero TERTULL. L. 4. contr. Marcion. c. 18. ait : Peccatricis pœnitentia, secundum Creatorem meruit veniam præponere solitum sacrificio ; CYPR. L. de Lapsis n. 36. de vero pœnitente dicit : Lætam faciet Ecclesiam, nec jam solam Dei veniam merebitur, sed et coronam ; AMBR. L. 10.

in Luc. c. 22. n. 90. inquit : Flevit amarissime Petrus, flevit ut lacrymis suum posset lavare delictum : et si tu veniam vis mereri, dilue lacrymis culpam tuam ; eodem tempore, eodem momento respicit te Christus ; HIERON. L. 2. contr. Pelag. n. 41. Qui peccata simpliciter confitentur, merentur humilitate clementiam Salvatoris. AUG. in Psal. 50. n. 11. de Ninivitis scribit : De incerto pœnitentiam egerunt, et certam misericordiam meruerunt, etc.

Conf. 1. Juxta TRID. Sess. 6. c. 6. peccatores disponuntur ad justitiam per actus fidei, timoris, spei, amoris, pœnitentia et propositi suscipiendi necessarium sacramentum et servandi divina mandata ; et juxta c. 7. hanc dispositionem justificatio consequitur : sed ejusmodi dispositio omnia habet ad meritum theologicum requisita, nec tamen est de condigno, ob defectum personæ Deo needum gratæ, et informationis per gratiam sanctificantem ; ergo.

Conf. 2. Si gratia fidei aut alia exigeret, aut exspectaret conatum bonæ voluntatis, ut Pelagiani primum, ac dein Semipelagiani affirmarunt, gratia daretur secundum nostra merita ; quemadmodum saepius a S. AUG. contra illos gratiæ hostes disputatum fuit, et a Conciliis in hac causa habitis definitum ; ergo, cum Deus plures actus virtutum supernaturales exigat, et exspectet, ut hominem justificet ; hi actus omnino dicendi sunt meritorii saltem de congruo.

Prob. 2^a. pars ex dictis, de conditionibus ex parte operis et operantis ad meritum de condigno requisitis ; ex quo etiam capite, nisi sermo sit de operibus naturalibus, fit, quod CONCILIA et PATRES operibus ante justificationem factis meritum aliquando non tribuant, aliquando etiam negent ; utpote qui pro specie nobilio, seu merito de condigno usurpant frequiore etiam in aliis phrasib[us] genus, seu meritum simpliciter tale.

ARTICULUS III.

QUODNAM SIT OBJECTUM MERITI THEOLOGICI?

450. Nota. Objectum meriti theologici, seu præmium supernaturale, quod per actus bonos meremur, secundum triplicem classem distingui potest ; aliud enim pertinet ad dona gratiæ *actualis*, aliud ad dona gratiæ *habitualis* ; aliud ad dona gloriæ. In 1^a. classe spectari solet tum gratia prima, tum secunda, eaque maxime congrua seu efficac : in 2^a. consideratur tum gratia ipsa sanctificantis seu primo conferenda, seu post lapsum reparanda, tum gratiæ sanctificantis augmentum, tum conservatio et perseverantia finalis in eadem : in 3^a. demum attenditur ad gloriam, sive essentiale sive accidentiale tam secundum se ipsam et quasi substantiam, quam secundum augmentum.

451. Dico I. Nemo ullatenus gratiam actualem primam, aut condigne gratiam secundam efficacem mereri potest : posteriorem tamen tam peccator, quam justus potest congrue mereri.

Prob. 1^a. p. Meritum, quod præcedit primam gratiam, ex supposito est sine gratia, ac proin *meritum naturale* : sed tali non debetur præmium super-

naturale; aut si deberetur, initium salutis foret ex nobis, quod est dogma *Semipelagianum*; ergo.

Conf. Meritum in eo differt a *causa finali*, quod causa meritoria præmiantem moveat ut aliquid jam existens et absolute prævisum, non autem ut aliquid tantum possibile, aut ut conditionate prævisum; finalis autem causa moveat ut aliquid nondum existens, ad quod obtinendum aliquid sit; unde *finis* in sola intentione prævisus causare potest; *meritum* autem semper debet existere prius natura, quam sit præmium; ergo præmium non potest existere natura prius quam meritum; ergo nemo potest mereri priam per opera posteriora, quæ pendeant ab illa gratia.

Prob. 2^a. p. Quilibet actus justi habet suum proportionatum ac condignum præmium in *augmento gratiæ et gloriæ*, ad quam dicit intrinsecam et connaturrealem habitudinem; gratia autem efficax est novum donum ab his omnino distinctum, et valde extrinsecum respectu meriti præcedentis; sicut eidem extrinsecum est, quod post illum duret vitæ tempus, vel occasio merendi aut non peccandi fit futura; ergo nec *justus* potest condigne mereri gratiam efficacem; præsertim, cum contraria sententia non possit ostendere sive in Scriptura, sive in traditione vestigium institutionis divinæ, aut positivæ ordinationis; præterea etiam testetur contrarium experientia, qua novimus etiam *justos* post plura sanctitatis merita lapsos fuisse in peccata, et hinc gratia efficaci caruisse.

Conf. Non potest dici, quod quilibet actus justi meritorius mereatur de condigno gratiam efficacem; cum alias justus per unum actum ex vi sui meriti in hac vita confirmaretur in gratia, nec peccare posset: sed hoc primo alienum est a sensu Scripturæ, Patrum et Ecclesiae circa incertitudinem nostræ salutis manifestato; *deinde* erroneum est ex eo capite, quod sequeretur lapsos post justificationem peccatores nunquam antea habuisse meritum de condigno et gratiæ augmentum; *denique* proximum est errori Joviniani docentis, non fuisse vere justificatum eum, qui peccat.

Neque illud meritum tribui potest *actui* cuidam insigni et *heroico*, quia hoc plane gratis ac voluntarie asseritur; cum nec fundamentum habeatur in ipsa rei natura, sive spectetur homo justus ejusque mutabilitas, sive ipse actus, utpote aliud meritum proportionatum habens: nec in divina institutione, utpote nullibi revelata: nec in experientia, utpote contraria.

Prob. 3^a. p. In opere bono sive *justi*, sive *peccatoris* habentur omnes conditiones ad meritum theologicum etiam respective ad gratiam efficacem requisitæ; ut per se patet de requisitis ex parte operis et operantis; de requisito autem ex parte *præmiantis* inde colligitur, quod Deus ejusmodi meritum tanquam proportionatum saltem ratione sue substantiæ, licet non ratione medii, cum gratia efficaci, soleat acceptare ut tale ex indulgentia quadam et bonitate, qua facient ex viribus gratiæ, quod est in se, non negat gratiam ulteriore sæpe conjunctam cum effectu: sed hoc meritum non est de condigno; ergo saltem est *de congruo*.

Conf. Actus boni peccatoris sunt *congrue* meritorii gratiæ habitualis, et actus similes justi sunt similiter meritorii perseverantiae; ut ex dicendis supponimus: sed tum gratia habitualis, tum perseverantia includit gratiam efficacem; ergo.

432. Dico II. Peccator *gratiæ sanctificantem* non nisi congrue, justus gratiæ augmentum condigne mereri potest.

Prob. 1^a. p. SCRIPTURA, CONCILIA et PATRES frequenter negant operibus ante justificationem factis meritum, et justitiae donum docent esse *gratuum*: sed non negant meritum congruum, nec docent justitiae donum ita gratuitum, ut excludat dispositiones debitas; ergo negant meritum condignum, et docent ita donum gratuitum, ut excludat justitiae debitum.

Prob. Ad Rom. 3, postquam Paulus v. 22. dixisset: *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes, etc.*, v. 24. subdit: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu; ex quo contextu colligitur etiam præsupposita in homine fide gratiam justificationis immediate ac in se spectatam dari gratis: unde et TRIN. Sess. 6. c. 8. dicit: Gratus justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* Simili ratione Patres alii alias Scripturæ textus interpretantur. Avg. enim in verba Psalm. 110. *Confessio et magnificientia opus ejus*, ait: *Justitiam homo non operatur, nisi justificatus; L. de fid. et op. c. 14. Sequuntur opera legis justificatum, non antecedunt justificandum, etc.*

Conf. Si quod opus esset meritorium de condigno gratiæ sanctificantis, id foret *contritio* vel *prima dilectio* Dei super omnia, quæ licet ex dictis superioribus non sit forma sanctificans animam, tamen est ultima ad eam dispositio: sed nec hæc potest dici meritum condignum gratiæ sanctificantis: non enim dici potest hujusmodi meritum, si consideretur ut actus *ordine naturæ* præcedens gratiam habitualem; quia hic actus ut illa gratia prior nec ab ea est formatus, nec est ab homine grato, nec per se et formaliter reddit hominem gratum; ergo nequit esse condigne meritorius; cum ad ejusmodi meritum requiratur persona grata, aut opus saltem gratia habituali formatum. Neque si consideretur ille actus ut *eodem temporis instanti* per infusam gratiam habitualem formatus; quia actus nequit esse meritorius de condigno illius formæ, per quam in esse talis meriti constituitur; cum principium meriti non cadat sub meritum.

Prob. 2^a. p. Ex dictis num. 449. quia, si quod meritum congruum peccatoribus est tribuendum, id maxime in ordine ad gratiam sanctificantem concedi debet.

Prob. 3^a. p. Ex dictis num. 430. potest dari in homine justo augmentum justitiae seu gratiæ sanctificantis: augmentum autem hoc fieri per opera bona constat tum ex dictis ibidem, tum ex ep. Jac. 2. v. 21. seqq. *Abraham pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est: et suppleta est Scriptura dicens: Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est;* tum ex TRIN., quod Sess. 6. Can. 32. dicit, *justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, sunt, vere mereri augmentum gratiæ; juxta Concilii autem phrasin verum meritum pro condigno usurpatum: tum quia additur, justificatum vere mereri vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia deceserit, consecrationem, atque gloriæ augmentum; ex qua additione colligitur,*

idem dari meritum respectu augmenti gratiae, quod respectu æternæ vitæ et gloriae augmenti.

Conf. In merito justorum adsunt conditiones omnes ad meritum condignum augmenti gratiae requisitæ, nam ex parte operum supponitur libertas, bonitas, supernaturalitas et informatio per gratiam habitualem, ac proinde præsto est maxima æqualitas et proportio; ex parte personæ merentis dignitas justificati, tanquam amici Deo et grati, facile datur; ex parte personæ, cui meretur, requisita conditio similiter non deest, cum supponamus justum sibi mereri; denique ex parte Dei præmiantis etiam intercedit promissio juxta verbum Christi Joann. 14. v. 13. et seq. *Si diligitis me, mandata mea servate: et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis;* circa quæ verba AUG. Tr. 74. in Joann. cum dubium proposuisset quomodo Christus promittat Spiritum sanctum diligentem et mandata servanti, cum sine Spiritu sancto dilectio et mandatorum observatio esse nequeat; sic respondet n. 2. *Restat, ut intelligamus, Spiritum sanctum habere qui diligit; et habendo mereri ut plus habeat, et plus habendo plus diligit;* ergo.

433. *Dico III.* Justus nec perseverantiam, nec reparationem post lapsum mereri potest de condigno: potest tamen de congruo mereri perseverantiam, et cum aliqua probabilitate etiam reparationem post lapsum.

Prob. 1^a. p. 1^o. Negative; tum quia SCRIPTURA et PATRES nihil uspiam docent, ex quo colligi possit Deum uni aut pluribus meritorii operibus alligasse perseverantiae donum, ita ut justus tali meritorum cumulo instrutus certo sit perseveraturus: tum quia Concilium TRID. Sess. 6. can. 32. recensens ea, quæ vere et de condigno meremur, nullatenus meminit perseverantiae.

2^o. *Positive;* tum quia SCRIPTURA et PATRES, ut ex num. 430. et seq. liquet, ostendunt esse incertam perseverantiam, adeoque non adesse ejus promissionem; quæ tamen ad meritum de condigno est necessaria: tum quia TRID. Sess. 6. c. 12. prohibet, ne quis certo statuat, se omnino esse in numero prædestinorum; et can. 16., ne quis dicat se certo perseverantiae donum habiturum; ubi quamvis mentionem faciat absolute et infallibilis certitudinis, quæ etiam permisso merito condigno perseverantiae non necessario sequeretur: tamen, quia non aliam etiam hypotheticam admittit, quam quæ suspenditur ex speciali revelatione; ex contraria autem opinione admittenda foret etiam ista hypothesis, si justus aliquando habuisset unum vel alterum actum de condigno meritorium; sequitur et hanc certitudinem a mente Concilii esse alienam: tum quia quilibet infallibiliter consequitur id omne, quod de condigno meretur; cum autem constet justissimos post excellentia merita quandoque perseverantiam non esse consecutos, sequitur, pro ea meritum condignum non dari.

Conf. Perseverantia proprie dicta, ubi per longum tempus ab aliqua justificatione prima usque ad mortem per longum tempus sine mortali peccato vivitur, importat complexionem auxiliorum efficacium, quibus justus non modo perseverare possit, sed etiam revera actu usque in finem perseverat: sed nequit de condigno mereri illam collectionem nequidem per partes; quia 1. non potest sic mereri primum illius collectionis auxilium efficax,

cum hoc sit principium merendi, principium autem meriti non cadat sub meritum.

2. Nec condigne mereri potest ultimum ejus collectionis auxilium efficax; tum quia est gratia actualis efficax, quæ ex dictis sub meritum condignum non cadit: tum quia non solum datur ad quocumque peccatum, sed ad finale vitandum, ultra quod non dabatur alia peccandi occasio, sed mors justi infallibiliter sequetur: hæc vero circumstantia facit, ut istud auxilium sit specialissimum etiam in ordine gratiae beneficium, partim ex universalis providentia Dei ordinantis cursum omnium causarum, partim ex speciali prædefinitione divina singulis hominibus terminos dierum suorum taxantis dependens, ac proinde alterius quasi ordinis aut saltem valde extrinsecum respective ad actum amoris Dei, vel alium bonum.

3. Nec condigne potest mereri auxilia efficacia inter media hujus collectionis; quia sive hic modus merendi explicetur per hoc, quod unus actus mereatur totam seriem auxiliorum, exceptis duntaxat primo et ultimo auxilio collectionis perseverantiam constituentibus; sive per hoc, quod unus actus mereatur auxilium efficax unum, alter actus cum hoc auxilio factus mereatur alterum auxilium, et sic deinceps; neuter modus evadit illa absurdia, quæ contra meritum condignum gratiae efficacis protulimus.

Prob. 2^a. p. Meritum hoc nequit fundari in actibus justi, dum justus est; tum quia priora merita per subsequens peccatum mortificantur; unde juxta Ezech. 18. v. 24. *Omnis justitia ejus, quas fecerat, non recordabuntur;* et 33. v. 12. *Justitia justi non liberabit eum, in quacunque die peccaverit:* tum quia justus nequit mereri de condigno, ut, si peccaverit, vivat aliquo tempore post lapsum, aut resuscitetur mortuus; quorum tamen alterutrum ad reparationem gratiae et requiritur, et utrumque minus est, quam reparatio gratiae: tum quia hoc ipso, quod justus peccat, fit indignus vita æterna et absolute dignus poena æterna, adeoque ex rigore justitiae potest statim hac poena puniri, et nullo modo disponi iterum ad vitam æternam. Nec meritum condignum fundari potest in actibus, quos justus post lapsum operatur; tum quia hujusmodi actus jam non sunt ab homine grato, adeoque nec meritorii sunt de condigno: tum quia non sufficit hominem hunc fuisse gratum Deo; cum dignitas, quæ jam non est, nequeat significare actus.

Conf. SCRIPTURA, PATRES et CONCILIA universim docent, peccatorum remissionem fieri gratis et ex Dei misericordia: nec datur meritum condignum ad vitanda aliqua vel omnia peccata per auxilium efficax vel donum perseverantiae; ergo multo minus poterit quis condigne mereri, ut sibi postea detur auxilium efficax ad contritionem.

Prob. 3^a. p. Quamvis justus perseverantiae donum, si sumatur ita pro collectione omnium auxiliorum efficacium post aliquam justificationem concessorum, ut ad eam quoque primum auxilium efficax intrinsece referatur, nequeat obtineri etiam per meritum duntaxat de congruo; quia et primum auxilium, utpote principium etiam meriti congrui, non cadit sub meritum de congruo: tamen, si perseverantiae donum sumatur aliter, quatenus nempe extrinsece tantum inchoatur a primo auxilio efficaci post justificationem dato ad perseverantiam aliquo modo procurandam, nempe per petitionem ejusdem, propositum, desiderium aut aliud simile; meritum illius de congruo asseri potest.

Nam 1^o. id insinuatum videtur 2. Petr. 1. v. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.*

2^o. Aperte assertum est sæpius ab AUG. in ipso L. de don. persev., ubi c. 6. n. 10. ait: *Hoc ergo donum Dei suppliciter emereri potest; sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest.* Item c. 16. n. 39. *Cum constat alia Deum danda etiam non orantibus, sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam; profecto, qui ex seipso hanc se habere putat, non orat, ut habeat.* Tandem c. 22. n. 62. *Vos etiam ipsam obediendi perseverantiam a Patre lumenum, a quo descendit omne datum optimum et omne donum perfectum, sperare debetis, et quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo considere, non vos esse a prædestinatione populi ejus alienos, quia etiam hoc, ut faciatis, ipse largitur.*

3^o. Id colligitur tum ex oratione dominica, tum ex precibus Ecclesiæ, quas utique *cum spe conjunctas esse oportet.* Idem enim S. Doctor L. eod. c. 2. n. 4. de prima petitione expositionem S. CYPRIANI adducit et subjungit: *In sanctificatione igitur perseverantiam, h. e. ut in sanctificatione perseveremus, nos ab eo petere iste Doctor intelligit, cum sanctificati dicimus: Sanctificetur nomen tuum.* Dein ex suo de secunda petitione addit n. 5.: *Quid, cum dicimus, Veniat regnum tuum, num aliud poscimus, nisi ut veniat et nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus sanctis? Ergo et hic, qui jam sancti sunt, quid orant, nisi ut in ea sanctitate que illis data est perseverent?* neque enim aliter eis veniet regnum Dei, quod non aliis, sed his qui perseverant usque in finem, certum est esse venturum. De sexta vero petitione c. 17. n. 46. ibid. sic loquitur: *Non ideo dicenda est in fide perseverantia non esse donum Dei; hanc enim quotidie poscit, qui dicit: Ne nos inferas in temptationem; et si exauditur, hanc accipit, ac per hoc, quotidie ut perseveret petens, profecto perseverantiae sue spem non in seipso, sed in Deo ponit.*

Eadem postulat Ecclesia, dum in publicis precibus dicit: *Fac nos tuis semper inhaerere mandatis; aut in missæ sacrificio precatur: A te nunquam separari permittas; aut cum Psalmista canit: Ne des in commotionem pedes meos; ergo.*

Conf. Licet perseverantia non sit terminus, ad quem gratia aut meritum per se tendat; tamen id non obstat congruitati meriti, ut patet in merito, quo justus alteri quidpiam meretur; et quia universum minus requiritur ad meritum *congruum*, quam condignum: præterea in justorum bonis operibus adsunt conditiones omnes ad meritum theologicum necessariae: demum videtur omnino congruum, ut bene operans, Deumque frequenti oratione sollicitans, dum voluntarium obicem nou ponit, obtineat gratiam salutis; partim, quia id postulat suavissima Dei gubernatio et amor in suos; partim quia utilitas hominum requirit, ut proposito cœlesti præmio acuantur ad bene et instanter tum orandum, tum operandum.

Prob. 4.^a p. Probabilitas meriti congrui justorum respectu *reparationis* post lapsum extrinseca fundatur in auctoritate BONAVENTURE, SCOTI, GABRIELIS, VEGÆ, BELLARM. SUAREZ et aliorum: intrinseca autem tum in non repugnantia hujus meriti, tum in quadam decentia justitiae divinae latius sumptæ; ut Deus non obstante peccato superveniente recordetur præcedentium meritorum, illorumque intuitu excitet peccatorem ad resurgentum a

peccato: presertim ubi merita insignia præcesserunt, et peccatum subsequens ex vehementi aliqua tentatione, aut fragilitate humana committitur.

Nec desunt hujus providentiae exempla in Scriptura; Jehu enim Propheta ad Josaphat Regem Juda 2. Paralip. 19. v. 2. ait: *Impio prebes auxilium, et his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris, et idcirco iram quidem Domini merebaris: sed bona opera inventa sunt in te;* in quæ verba Theodoreetus: *Hinc discimus, quod minuunt peccatorum paenas, quæ prius fuerant recte facta;* Lyranus: *Merebaris iram de rigore justitiae; sed propter alia opera tua bona pepercit tibi ex dulcore suæ misericordia.* Similia quedam videntur in c. 2. et 3. Apoc., ubi prius commemorantur laudes et bona opera Episcoporum, et postmodum objurgatione defectuum facta vocantur ad poenitentiam.

Conf. Justus, experientia teste et Patribus sponsoribus, facilius resurgit a lapsu: dum orat reparationem post lapsum, si forte peccaverit, facit petitionem rei honestæ, justæ ac conformis voluntati divinæ, adeoque non petit inutiliter: alteri etiam peccatori potest de congruo mereri gratiam, et peccator sibi ipsi; ergo.

434. *Dico IV.* Justus potest de condigno mereri gloriæ tum essentiælē, tum accidentale: idem probabilius dicendum est de gloria prima, et certo de gloria secunda, seu gloriæ augmento.

Prob. 1.^a p. Imprimis vita æterna est præmium correspondens operibus bonis justorum; ut patet tum juxta Philonem ex verbis Exod. 15. v. 17. *Introduces eos, et plantabis in monte hereditatis tuæ firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine:* tum ex aliis seu Scripturæ testimoniis aperitis; Sap. 5. v. 16. *Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum:* Matth. 19. v. 29. *Omnis, qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut etc., centuplum accipiet et vitam æternam possidebit;* etc. c. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.*

Deinde etiam est præmium debitum ex justitia; tum quia in Scripturis dicitur *merces, bravium et corona justitiae:* tum quia in iisdem merentes dieuntur digni hoc præmio: tum quia PATRES et CONCILIA, maxime Trip. id satis aperte declarant. Non tamen defendimus meritum de condigno ad omnem rigorem, cuius nempe valor ac dignitas in nulla præmiantis gratia fundetur; sed tantum meritum de condigno simpliciter, quod dicit declaratam operis æqualitatem, licet ejus valor et dignitas nitatur in remunerantibus bonitate.

Prob. 2.^a p. Gloria *accidentalis* vel ex natura sua, vel ex ordinatione divina est conjuncta et annexa gloriæ essentiali, aut saltem ejus augmento: sed justus de condigno meretur tum gloriæ essentiælē, tum augmentum gloriæ, ut proxime dicetur; ergo.

Conf. Actibus justorum bonis nulla conditionum ad meritum condignum requisitarum deest; ut patet tum ex paritate cum gloria essentiali et augmentatione ejus instituta, tum ex promissione divina, quæ de variis accidentibus gloriæ partibus habetur Dan. 12. v. 13., Matth. 13. v. 43., et c. 19. v. 28., ac 1. ad Cor. 15. v. 42. et seqq. etc.

Prob. 3.^a p. Quotiescumque *SCRIPTURA* promittit gloriæ tanquam merce-